



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1711

Sectio Tertia. Atheismus, Politheismus, Jansenismus, ex nostra sententia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84783](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84783)

SECTIO III.

Atheismus, Polytheismus, Jansenismus, ex nostra sententia.

§. I.

Atheismus, Polytheismus, & anima mortalitas.

SUMMARIUM.

M. Baro ait, quod non existentia Dei, & anima mortalitas erit probabilis, n. 39.

Retorqueo, n. 40.

Deum existere est evidens, quin juxta plures per se notum; immo cuilibet suo modo esse potest moraliter evidens, n. 40. 41.

Probabilitas non tantum ab evidentiâ, sed etiam à certitudine tollitur, n. 42.

Ut quid sit probabile, requiritur, tum quod nil certum contra se habeat, tum grave fundamentum, ibid.

Non eo ipso quod unum è contradictorijs non est certum, aliud est probabile, ibid.

Rationes pro heresi non sunt respectivè probabiles, n. 43.

Contra articulos fidei nil datur probabile, ibid.

Probabilitas Catholicorum de incertis inter se disputantium, est ignorantia invincibilis; Hereticorum autem est vel vincibilis, vel invincibilis, ibid. & n. 44.

P. Eliz. vult, quod probabilitas stet cum certitudine oppositi, n. 45.

Quid significet id ad evidentiam, à D. Thom. usurpatum, ibid. & n. 47.

Repugnat, ut eidem intellectui unum è contradictorijs sit certum, & aliud sit probabile, n. 46.

Autores, qui propriam putant directè certam, sepe reflexè formidant de ejus veritate, n. 47.

Probabilitas, qua à TT. datur opinionibus oppositis, non est pura impunitas, ibid.

Adversarij quam inter se oppositi; nam Probabilioriste negant, quod cum probabilitate propria stet probabilitas opposita; Celladei autem cum evidentiâ propriâ, ait stare probabilitatem opposita, ibid. & n. 48.

N. 39. **O**bjicies 1. sequi ex nostrâ sententiâ, quod sit probabilis Atheismus, & Polytheismus; nam existentia Dei, & quidem unius tantum Dei, non est evidens: ergo probabilis: sed probabilitas non tollit oppositam probabilitatem: ergo Atheismus, & Polytheismus est probabilis: ergo Atheista, & Polytheista suam probabilitatem sequentes poterunt juxta nos salvari. Ita M. Baro, qui mirum quantum exerat eloquentiæ, ut argumento ex se infirmissimo, & cui respondere tenetur, splendorem conciliet. Confirmat d. 2. sect. 4. Id cujus oppositum non est evidens, est probabile: sed non est evidens

existentia Dei, & multò minus unius tantum Dei, nec est evidens anima immortalitas, nec est evidens fidei nostræ veritas: ergo omnes isti, & similes errores, & scelera, quorum turpitudinis evidentiam non habemus, erunt probabilia: ergo licita.

Sed contra; quia dupliciter retorquetur in M. Baro hæc objectio; nam admittit licitum in aliquo casu sequi minus tutam probabilissimam: fac ergo, ut Atheista probabilissimè sibi suadeat Deum non existere, & Polytheista plures Deos existere; poterit Atheista sequi Atheismum, & Polytheista Polytheismum; nam juxta M. Baro, licitum est sequi minus tutam probabilissimam. Rursus admittit, immò obligat ad tutiorem dummodo probabilem: fac ergo, ut Ethnicus tam pro unitate Dei, quam pro pluralitate Deorum habeat rationes probabiles: quaerit P. Card. tom. 1. d. 15. à n. 209. quæ ex his opinionibus representabitur ut tutior, an stans pro unitate, an stans pro pluralitate? Si stans pro unitate, contra est; quia cognoscit periculum displicendi pluribus Dijs probabiliter creditis: si stans pro pluralitate, contra est; quia colendo plures Deos, cognoscit periculum displicendi unico Deo: ergo argumentum, quod objicit nobis admittentibus licitum usum cujusque opinionis practicè probabilis, solvendum est à M. Baro, non tantum admittente licitum sequi minus tutam dummodo probabilissimam, sed etiam obligante ad sequendam quamlibet tutiorem, etiam minus probabilem.

In formâ nego antecedens, ejusque probationem; nam existentia Dei, & quidè unius tantum Dei, est saltem moraliter evidens, imò revera est metaphysicè evidens; quod adeo certum est, ut opinionem negantem, quod existentia Dei sit demonstrabilis, aliqui vocent hæreticam, alij erroneam, ego stultam, ut legi potest in M. Godoy tom. 1. in 1. p. 1. d. 3. n. 72. Immo sunt aliqui Theologi, inter quos S. Bonav. B. Alb. Magn. Egidius, Argentina, P. Perez, & alij, qui volunt Dei existentiam, seu hanc propositionem, *Deus est*, esse ex ipsis terminis prorsus notam. Porro demonstrationes saltem moraliter evidentes adeo faciles sunt, ut quilibet quantumcumque bardus nullo labore percipere possit; atque adeo repugnare invincibilem Dei ignorantiam saltem ad longum tempus, optime ostendit P. Muniti. d. 1. de essentia Dei sect. 5. admittens possibilem esse per breve tempus; & C. Aguir. tom. 1. in S. Anselm. d. 5. sect. 2. 3. 4. 5. ostendens hoc ipsum contra P. Molinam, M. Victor. Pontium, M. Serr. & alios, quos citat n. 15. & d. 6. ostendit evidens

N. 40. M. Baro. P. Card. P. Eliz. M. Bar. N. 41. N. God. D. Bonavent. B. Alb. Magn. Egid. Argent. P. Perez. P. Muniti. C. Aguir. M. Vict. Pontius M. Serr. M. God.

evidentem esse Dei existentiam. Lege etiam M. Gon. tom. 1. d. 1. art. 2. a. n. 25. & M. Godoy tom. 1. in 1. par. 1. d. 2. a. §. 2. ad §. 9. & d. 3. a. n. 72. fulissimè, qui cum pluribus art. n. 252. & quidem merito, quod Dei existentia possit invincibiliter ignorari, sumptimè ignorantia pro carentia scientiæ strictæ, non autem pro carentia omnis cognitionis. Et ideo dixi, quod quilibet bardus potest facile suo modo habere evidentiam saltem moralem de existentia Dei; quod si non habet, est, quia non vult, atque adeo laborat ignorantia vincibili, & est juxta Apostolum inexcusabilis. Si ergo existentia Dei, & quidem unius tantum, est evidens, eo ipso Atheismus, & Polytheismus non possunt proponi ut probabiles; nam per nos de essentia opinionis probabilis est, ut nihil habeat contra se certum; quod si M. Baro considerasset, abstinuisset ab objectione. Ad hoc iterum confundi probabilitatem speculativam cum practicâ; & ex eo quod probabile sit non dari Deum, inferri licitum esse Atheismum. Lege quæ contra hoc argumentum dixi d. 4. P. Eliz. sect. 2. per totam, contra M. Baro, & P. Elizabeth.

N. 42. Ad confirm. omisâ retorsione, dico maiorem esse evidenter falsam, tum quia non est evidens itellas esse pares, nec tamen est probabile non esse pares; nam neutrum est probabile; neutrum improbabile, neutrum certum, neutrum evidens; tum quia probabilitati non tantum opponitur evidentia, sed etiam certitudo, ut dixi d. 4. per totam, & constat in mysterijs fidei, quæ non sunt evidentia, sed tantum certa, ut docui d. 9. nec tamen articuli oppositi sunt probabiles, tum quia nullus definit probabile esse id, cujus oppositum non est evidens; nam ad probabilitatem duo requiruntur: primum, quod dentur rationes absolute, & respectivè graves; secundum, quod nihil detur certum contra illas. Per hoc autem quod pars B opposita non sit evidens, non fit, quod pars A sit probabilis; nam pars B potest esse certa; multò minùs autem per hoc quod pars B non sit certa, fit quod pars A sit probabilis; nam potest pars A nullam pro se habere rationem gravem. Æquivocum est, quod Adversarij non considerent, quid requiratur ad probabilitatem; & ex eo quod nos concedamus, rectè inferri partem A non esse probabilem, eò quia pars B est certa, aut evidens; putant rectè etiam inferri, ex eo quod pars B nec evidens, nec certa sit, partem A esse probabilem; quod est evidenter falsum: nam ut pars A sit probabilis, non satis est, ut pars B, non sit evidens, nec certa, sed præterea

debet pars A nisi rationi gravi, quia plus requiritur, ut quid sit probabile, quam ut quid non sit probabile. Ut A non sit probabile, satis est, ut B oppositum vel sit certum, vel evidens, vel ut idem A careat ratione gravi: ut autem sit probabile, debet tum nisi rationi gravi, tum nil certum, aut evidens contra se habere.

Similiter minor est evidenter falsa, tum quia ad summum dari possunt rationes absolute graves, & probabiles pro falsitate notæ fidei, pro animæ mortalitate, & similibus oppositis; non autem rationes relative probabiles, & graves, relative, inquam, ad argumenta, quibus animæ immortalitas, & contra mysteria suadentur: diximus autem ad probabilitatem necessarium esse, ut argumenta non tantum absolute, seu præcise, sed ab oppositis, sed etiam comparative ad opposita sint gravia: ergo articuli oppositi nostris articulis nullam habent probabilitatem: tum quia licet evidens non esset, quod tamen est falsum, artamen est de fide certum animam esse immortalem; certitudo autem unius partis excludit probabilitatem oppositæ: ergo nulla datur ratio probabilis pro animæ mortalitate. Idem dicto de articulis nostræ fidei, quæ licet non sit evidenter vera, ut ostendi d. 9. est tamen evidenter credibilis, & est moraliter certa esse veram, & est evidens esse credibilem, & credendam: ergo evidens est nullam contra Catholicas veritates, cum certæ sint, dari probabilitatem. Omnes istæ objectiones ab Adversarijs omitterentur, si intelligere vellent, quid ad probabilitatem juxta nos requiratur. Lege quæ dixi d. 4. sect. 2. ubi dixi, quod probabilitas Hæreticorum non sit nisi ignorantia, vel invincibilis, ut in aliquibus omnino idiotis, vel vincibilis, ut in doctis; possunt enim, si volunt, scire veritatem: probabilitas autem Catholicorum disputantium inter se, quoties opinio est utrimque probabilis, includit invincibilem ignorantiam, nam usque modo non est inventa certè veritas: similiter vide quæ dixi d. 14. sect. 2. a. n. 33. vide etiam P. Card. tom. 4. disp. 5. n. 6. & disp. 14. n. 79. & P. de la Fuente.

Dices ex M. Baro, Ethnicos habuisse tantum probabilitatem; sed hæc non fecit eos inexcusabiles, ut ait Apostolus: ergo probabilitas de existentia Dei non excusat a peccato. Nego suppositum majoris, non enim habuerunt probabilitatem, sed errorem vincibilem de non existentia Dei.

Objicies 2. ex P. Eliz. lib. 2. qu. 5. Probabilis coheret cum certitudine oppositæ: ergo licet nostra fides sit certa, potest facta opposita

posita esse probabilis. Antecedens probatur; quia ut ait §. 1. 2. & 3. a pag. 78. nil magis tritum in Doctores, quam quod propriam sententiam vocant certissimam; & evidentem, quin damnet oppositam tanquam improbabilem: ergo cum certitudine propriae opinionis stat probabilitas opposita. Confirmat ex phrasibus Doctorem, qui saepe dicunt, *Hoc est evidens; haec ratio est manifesta; argumentum evidenter solvitur; hoc patet;* quibus phrasibus indicant suas conclusiones esse sibi evidentes; nec tamen iidem DD. oppositam, saepe communissimam, censurant tanquam improbabilem: immo S. Thom. passim utitur hac phrasi, *ad cuius, aut ad quorum evidentiam sciendum est;* ergo S. D. supponit evidentiam unius partis itare cum probabilitate oppositi, nam non damnat optitum tanquam improbabile. Omitto alia, quae P. Eliz. trahit §. 2. & 3. contentus trahere ea, quae habet §. 4. pag. 79. ubi ait, quod probabilitas opinionibus dari solita non consistit, nisi in impunitate, vel cuius defensionem, aut edictum sine ulla censura.

Sed contra; quia P. Eliz. plura invertit; nam haecenus inauditum fuit, quod certitudo, & multo magis evidentia stet in eodem intellectu cum probabilitate oppositi: potest quidem probabilitas de una, & evidentia de altera parte contradictionis simul esse in distinctis intellectibus: ita Deus, & Angeli habent evidentiam de veritate unius contradictorii determinatè sumpti; de cuius opposita homines saepe habent probabilitatem: ergo potest in distinctis intellectibus stare evidentia unius partis contradictionis cum probabilitate partis oppositae. Quod autem in eodem intellectu evidentia unius partis, & probabilitas partis oppositae coexistere non possint, patet; quia alias de omni re evidenti dubitare possemus, an sit falsa; immo si cum evidentiā stat probabilitas oppositi, actum erit de omni principio naturali: similiter si cum certitudine stat probabilitas oppositi, certitudo non nitetur motivo falli nescio, & in cuius conflictu motivum oppositum nullius ponderis sit, nec assensu dignum: sed certitudo fundatur in motivo falli nescio, tantique momenti, ut reddat oppositum motivum indignum assensu prudenti: ergo certitudo non stat cum probabilitate oppositi. Porro argumenta, quae trahit, nulla sunt: det enim vel unum Doctorem, qui propriam opinionem supponat esse tum directè, tum reflexè certam; quatenus opinio fundatur in motivo falli nescio, & excludente omnem vim suavisam prudentis assensus à motivo opposito; reflexè, qua-

tenus reflexè supra idem motivum falli nescio, & iudicium in eo fundatum, certò sciat esse directè certum illud iudicium; det, inquam, qui opinionem propriam vocet in hoc sensu certam, & simul vocet, & iudicet oppositam esse probabilem, & nullum dabit. Quare dum Doctores opinionem propriam dicunt certam, dicunt eam directè certam, reflexè autem saepe dubitant, num fallantur; & ideo ob ingenitam sapientibus modestiam, & dubium reflexum de certitudine directà, abstinere à notandà opposita tanquam improbabili.

Ad 1. quod Doctores putantes suam N. opinionem certam ex ratione intrinsecà reflexè ad extrinsecam rationis oppositae auctoritatem, propter hanc ipsam auctoritatem, & rationem, cui Doctores Contrarij nituntur, saepe formidant reflexè de propriae opinionis certitudine; putant enim reflexè se forte decipi, dum propriam opinionem putant certam, & ideo, etsi propriam opinionem putent directè certam, (pauci autem ex sapientioribus omnia sua placita putant directè certa) considerantes auctoritatem extrinsecam, & non esse certum oppositos summam auctoritatis Doctores fuisse deceptos, possunt sibi formare iudicium certum reflexum de licito alienae opinionis usu. Ad 2. ex P. Teril. de Reg. mor. q. 26. ubi solvit haec P. Eliz. argumenta, quod phrasi D. Thomae ad evidentiam, idem est, ac ad intelligentiam; quod mihi certum est, nam S. D. eadem phrasi utitur etiam quando propriam putat tantum probabiliorem. Ad 3. quod etsi daretur omnes Doctores, & S. Thomam citatis phrasibus in toto rigore uti, ita ut certissimam putent propriam opinionem, quoties dictis phrasibus utuntur, falsum tamen est quod tunc supponant oppositam esse probabilem; nam oppositam tunc putant sibi, etsi non alijs, improbabilem. Reliqua P. Teril. Ad 4. falsum prorsus esse, quod probabilitas opinionibus oppositis tribui solita sit mera impunitas; nam non est mera impunitas, immo haec regulariter est quid consequens ad probabilitatem, quae est ratio, vel auctoritas omnino, & certò gravis. Ad 5. non posse me non mirari Anti-Probabilistarum inter se perpetuam oppositionem; nam P. Eliz. contendit, quod probabilitas unius partis stet cum certitudine, & evidentiā partis oppositae: e contra M. Mercor. P. Muncif. P. D. Thyri. Phil. Palan. contendunt, quod co ipso, quod una pars sit probabilior, altera non sit simpliciter probabilis. Videat Lector quid magis oppositum: Certitudo, & evidentia stat cum probabilitate oppositi; probabilitas

P. Teril.
P. Eliz.
D. Th.

P. Eliz.
M. Mercor.
Philal.
P. Thyri.
Philal.
P. Muncif.

N.
48.

ritas non stat cum probabilitate oppositi.

Dices ex P. Eliz. Probabile opinionibus dari solitum stat cum certitudine, & evidentia unius partis: sed probabile pro conscientia requisitum non habet locum contra certum, & evidens: ergo probabile opinionibus dari solitum non est probabile pro conscientia requisitum. Nego maiorem, quæ est evidenter falsa, ut proxime dixi.

§. II.

Alij errores, & hereses, immò omnes ex nostrâ sententiâ.

SUMMARIUM.

M. Baro ait, Adamum, Saulem, Pilatum, per probabilitatem excusabiles esse, n. 49.

Solvo, n. 50.

Epitome eorum, in quibus Contrarij arguendo peccant, ibid.

Idem ait M. Jac. à S. Dom. quòd omnes Ethnici, & Heretici excusari poterunt, n. 51.

Quantum hæc argumenta habeant de Jansenismo, n. 52.

Celladei ait, quòd si aliquis tenetur ad tutiorem sibi probabilisorem, obligabitur ad Judaisimum, ibid.

Certitudo Hæreticorum est à voluntate; non ita que inest opinioni probabili, n. 53, 54, 55.

Qui est certus de non peccato in tali opere, non ideo est certus de statu gratiæ, ibid.

Quoties lex est certa, opinio pro non lege non est probabilis, ibid.

Celladei ait, quòd si diverstas opinionum salvas Catholicos, salvabit quoque Hæreticos, n. 56.

Et quòd verum juxta S. Augustin. sit invenibile, ibid.

Latum discrimen inter contentiones Catholicorum inter se, & contentiones Catholicorum cum Hæreticis: illi disputant de incerto; hi de certo, & sequuntur certò falsum, n. 57.

Error in necessarijs necessitate medijs non salvat; in alijs, si invincibilis sit, salvare potest, n. 58. & 59.

Veritates necessaria necessitate medijs invenibiles sunt; non ita omnes necessaria necessitate præcepti: & hoc vult S. Augustinus, ibid.

Fides, quæ idiota credit indubitanter falsum, non est Divina supernaturalis, nisi putativè est tamen meritoria, n. 59.

Fides Divina nititur soli revelationi verè existentis; reliquæ autem virtutes morales contentæ sunt honestate formali prudenter tali, n. 60.

Materia fidei in triplici differentiâ: & quæ credenda necessitate medijs, quæ præcepti, n. 61.

Comparo credenda, & non credenda in materiâ fidei, cum opinandis, aut non opinandis in materiâ morum, ibid.

Objicies 3. ex M. Baro: Si probabilitatem excusaret, potuisset Adam, Saul, & alij excusare se à peccato per probabilitatem, ob rationem *sect. 2. §. 2.* allatam, quòd lex pœnalis non obliget, & quòd res parva non cadat sub præceptum, alijque doctrinis probabilibus modernis. Similiter Pilatus damnans Christum D. potuisset crimen suum excusare, quatenus Christus D. ab aliquibus putabatur bonus, ab aliquibus malus. Idè dici posset de Propheta interfecto à Leone, quia præceptum non custodivit, cui non poterat deesse ratio probabilis deobligans eum à præcepto.

Respondeo, ut dixi *sect. 2. §. 2.* quòd cum M. Adæ, Sauli, Propheta, alijque recentium certo confitaret præceptum, (certa enim erant illis revelatio, aut notitia præcepti, ut constat ex Scripturâ) utique non poterant se excusare per probabilitatem non obligationis præcepti, præcipuè cum res parva eo ipso quòd ad summum finem ordinetur, non est parva, sed magna; atque adeo non tenent doctrina adducta. Quantum ergo distat, qui dicit, stante lege incertà potes licitè, quòd volueris; à dicente, stante lege certà potes licitè, quòd volueris; tantum nos distamus ab argumento M. Mercori, & M. Baro. Adò, quòd ut dixi d. 14. *sect. 4.* late loquendo de Judice, quòd non possit certò damnare, nisi certò reum; hinc sequitur, quòd licet Pilatus probabiliter speculative putaret Christum D. esse reum, non poterat certum mortis jus in eum dicere. Sanè magnà mihi potius opus est patientiâ, quàm ingenio, dum hæc argumenta audio, nam extra choram saltant, vel non intelligendo, quid nos ad probabilitatem requiramus, vel assumendo exemplum opinionis, & rei speculative probabilis; pro exemplo rei practice probabilis; vel ex speculative probabilitate inferendo practice probabilitatem, vel putando omnem opinionem practice esse practice probabilem, cum plures sint practice improbabiles; vel mutando circumstantias, transièdo à probabilitate directâ practice ad probabilitatem practice reflexam; vel affirmando esse probabile id, cujus oppositum est certum. Cum ergo certum sit dari Deum, & esse unum; certum sit nostros articulos esse veros; certum sit animam esse immortalè; certum fuerit Adæ, & Sauli præceptum; utique nulla potest dari ratio probabilis in oppositum. Quæro enim, an ea negans, attendat ad nostra argumenta? Si attendit, cum pleraque sint evidentiâ, aut saltem certâ, utique homo ille nihil habebit probabilis pro opposito: vel non attendit; & sic peccabit.

cabit culpabiliter, & ignorantia erit vincibilis, & probabilitas rationis erit affectata, procedens ex errore vincibili, immo erit error vincibilis, & imprudens, atque adeo profuis erroribus nullam habebit solidam probabilitatem.

Objicies 4. Nostra sententia de licito probabilitatis usu incidit in Hæreses Simonis Magi, Valentinianorum, Gnosticorum, Novatorum; nam ut Simon Magus volebat homines debere operari ut à legibus exemptos, ita & nos: ut Valentiniani, & Gnostici dicebant furtum, homicidium &c. non esse peccata, si quis ea patrando putaret se non peccare, ita & nos: ut Novatores dicunt, quem esse certum de sua justificatione, si hoc sibi firmiter persuadeat, ita & nos; immo per nos absolventi essent occisores Apostolorum, quia arbitrabantur obsequium se præstare Deo, vel saltem putabant se non peccare occidendo: ergo nostra sententia rejicienda. Ita M. Jac. à S. Dom. apud P. Card. tom. 3. d. 56. cap. 6.

Sed contra 1. quia ex his hæresibus, quas contra nos armant Adversarij, & rationibus ab ipsidem adductis, cum istæ propugnent errorem invincibilem non tantum nõ honestare actionem, sed nec excusare à peccato, consequenter infero 1. (nec multum est quod hoc inferam, cum tot horrenda contra nos Adversarij inferant) tantum accedere Jansenismo doctrinam negantem licitum probabilitatis usum, quantum utitur, & nititur rationibus, quibus Jansenitæ impugnant hoc dogma Catholicum, quod invincibilis ignorantia excuset. Infero 2. adeo inania contra nos esse Adversariorum argumenta, ut ea solvere teneantur, si à Jansenio recedere velint, ut nos solvimus supra d. 5. & 6. Infero 3. ad hominem, ut etiam notavit insignis Adversarius P. Eliz. 2. p. lib. 6. qu. 1. pag. mihi 146. column. 2. vers. Et quoniam, sequi quod homo, cui notificetur Judaismus, aut Calvinismus, tenebitur eum sequi, quia tenetur ad tutius, aut probabilius, cum, juxta Adversarios, detur lex obligans ad tutius, aut probabilius: sed Judaismus proponitur tunc ut tutior, nam proponitur obligatio sequendi illum, & juxta Tutoristas, tutius est sequi opinionem pro lege: ergo tutius est sequi Judaismus, quam non Judaismus.

Contra 2. quia cum omnes Anti-Probabilistæ, & Probabilistæ conveniant in hoc, quod, ut homo rectè operetur, debeat esse aliquo modo certus de non peccato, eo ipso quilibet tenetur solvere argumentum; quæro enim, & dico, quod si homo sit certus de non peccato, quia sequitur tutiorem, ut

volunt Tutorista, sive probabilioris, ut Probabilioritæ, sive practicè probabilem, ut Nos, cum illationes adductæ contra nos orientur ex certitudine, eo ipso M. Jac. à S. Dom. & omnes Anti-Probabilistæ tenentur solvere argumentum. Ut ergo solvam, distinguenda est duplex certitudo, una, quæ oritur à principijs certis, altera, quæ non oritur ab illis, sed est certitudo purè verbalis, id est, dicitur certitudo, reverà tamen non est, sed est pertinacia, cum habeat contra se argumenta certissima: talis est certitudo affectata ab Hæreticis, dum dicunt se habere certitudinem, quam tamen non habent, sed oppositum. Quis enim, nisi sit stolidissimus, sit certus de non peccato, dum adulteratur, furatur, occidit? peccat enim contra evidens rationis lumē. Si ergo evidens erat Gnosticis se peccare ea patrando, utique non poterant esse certi, se ea patrando non peccare; aliàs fuisset illis certum utrumque contradictorium, quod repugnat: ergo ea certitudo, quæ dicebant se non peccare patrando dicta scelera, si sibi persuadebant se non peccare, erat repugnans, & non nisi verbalis. Quantum ergo dicens, *Qui est certus certitudine ortæ ex præmissis certis, se non peccare, non peccat*, distat à dicente, *Qui est certus certitudine tantum affectatæ, & verbalis se non peccare, non peccat*; tantum nos distamus ab Hæreticis; nam nos dicimus primum, Hæreticis secundum.

Itaque nostra certitudo de non peccato in N. sequente opinionem probabilem oritur, vel à præmissis certis reflexis, ut communiter docent Probabilistæ, vel ab ipsâ essentia opinionis practicè probabilis, de quo infra: Hæreticorum autem certitudo est purè verbalis, imò dum dicunt se habere certitudinem de non peccato, regulariter mentiuntur, nam habent certitudinem de peccato derivatam à lumine naturæ evidenti. Lege quæ dixi d. 5. ubi ostendi vix dari posse ignorantiam invincibilem, quanto minus certitudinem de non peccato contra principia evidentissima. Rursum dixi neminem esse posse certum de non peccato, nisi quatenus ei evidens est se nõ peccare, eo quia cognoscit objectum evidenter ut est in se, vel quatenus operetur ex errore invincibili; numquam autem ex errore vincibili, immò repugnat. Si enim vincibiliter errat, formidat prudenter de peccato, vel in se, vel in sui causâ, quia scit se non usum diligentia, ad quam ex præcepto tenetur: ergo implicat, ut tunc sit certus de non peccato. Cum ergo occisores Martyrum putarent ex vincibili errore se nõ peccare, nam eorum miracula, & sanctitas erat sufficiens

M Jac. à S. Do. mihi

54

Mm ij moti

motivum ad generandum dubium prudens de peccato, eo ipso non erant certi de non peccato, etsi dicerent se esse certos, nam hoc verbis, non intellectu dicebant; cum certitudo intellectualis non sit, nisi à principijs certis, quibus occisores carebant.

N.
55.

Hinc etiam est, quòd cum Gnostici, & Valentiniani evidenter cognoscerent furtum, & adulterium, & alia, quæ sunt contra legem naturæ, esse peccata; seque jactarent certos de non peccato, eorum certitudo non erat, nisi voce tenus, cum certitudinem intellectualem de peccato haberent: nostra autem certitudo de non peccato in usu probabilitatis est intellectualis, & est vel identificata ipsimet opinioni probabili, vel est ex præmissis certis. Ad Novatores dico, quòd cognitio possit quidem me reddere certum de non peccato in tali operatione; attamen non potest facere in me gratiam, atque adeo neque reddere me potest certum de statu gratiæ, nisi accedat revelatio. Addo hoc posteriori jure solvendum à M. Jac. à S. Domin.

M. Jac.
à S. Do-
minic.

quæro enim, an sequens tutiorem, aut probabiliorem, sit certus de non peccato, immò de statu gratiæ? Quod addit de Simone Maggo non est ad rem: ego enim dico homines obligari lege certâ, & dari plures leges nobis certas; si autem lege certâ obligantur, eo ipso non possunt prudenter judicare se non obligari, ut Simon Magus somniabat. Rursus dico, quòd si lex sit incerta, non obligantur; sicut enim quoties lex certò constat, tenemur illi parere, nec dari potest judicium præcise probabile de non obligatione; ita quoties lex est incerta, non tenemur, & dari potest judicium prudens probabile de non obligatione. Vide P. Carden. *rom. 3. d. 56. n. 308.*

N.
56.

Objicies 5. ex P. Eliz. Diversæ de religione Catholica Hæreticorum opiniones non salvant Hæreticos, nec liberant à peccato, quia re ipsâ amplectuntur falsum: ergo neque diversæ inter Catholicos opiniones de bono, & malo, neminem salvabunt, si fortè errent; præsertim cum certum sit quòd S.

S. Aug.

Aug. lib. de Quantitate animæ cap. 13. ait: Fieri enim non potest quâdam providentiâ Divinâ se ipsum, & Deum suum, id est, veritatem, piæ, castæ, & diligenter quærentibus inveniendâ facultas desit: ergo cum Deus velit, ut omnes veritatem cognoscant, debuit tam in materiâ fidei, quàm morum invenibilem reddere inquirentibus: ut enim Deus falsâ religione non colitur, etsi putetur certissima, ita nec actu materialiter malo. Hinc inferitur, quòd vel diversæ Hæreticorum opiniones salvant Hæreticos, si diversæ Catholi-

corum opiniones salvant Catholicos; vel si illæ non salvant, nec istæ.

Respondeo me huic argumento cum d. N. 14. *sect. 2.* tum alibi satisfecisse ostendendo larum discrimen esse inter contentiones Catholicorum cum Hæreticis, & Catholicorum inter se. Modo addo ex P. Teril. *quæst. 11. de Reg. mor. à n. 7.* comparationem Hæreticorum disputantium inter se de credendis, cum Catholicis inter se dissentientibus, esse prorsus absurdam. Hæretici enim pugnant contra certas fidei veritates, quæ omnem probabilitatis præsumptionem à suis erroribus tollunt: contra dissensiones Catholicorum sunt prorsus inculpabiles, nec pugnant contra certum. Quis enim dicat peccatum D. Thomæ sicut isti Catholici inter se dissentientes non peccant, nec pugnant contra certum, quia nil certum adeit pro alterutris, ita nec ceteri. In formâ distinguitur quia Hæretici sequuntur certò falsum, concedo; quia præcise falsum, nego.

Ad reliqua dico ex P. Teril. *n. 8.* quòd P. N. Eliz. confundat necessaria necessitate medijs cum necessarijs necessitate præcepti: errans in necessarijs necessitate medijs, quomodo cumque erret, numquam salvari poterit, quia caret medijs ad salutem simpliciter necessarijs; errans autem invincibiliter in alijs, salvari poterit, quia non caret medijs simpliciter necessarijs. Porro dico, quòd Fides Catholica, & omnia necessaria necessitate medijs invenibilia sint à diligentibus; alias Deus non ferèd vellet omnes salvos fieri; & de his loquitur S. Aug. E contra non omnia necessaria necessitate præcepti sunt etiâ post magnam diligentiam invenibilia, ut constat ex dissensione Doctorum; & si in his errant, errant invincibiliter, qui error non tollit consecutionem salutis; & ratio est; quia in his, nec certa, nec vera resolutio eorum est simpliciter necessaria ad salutem.

Ad id quod ait, Deum nullâ falsâ religione rectè coli, distinguendum est: si sermo sit de falso actu religionis circa ea, quæ necessaria sunt necessitate medijs, fateor ita esse, quia talis error erit vincibilis, nam religio vera quoad ea, quæ sunt simpliciter necessaria, est invenibilis à diligenter quærentibus: si sermo sit de omnibus alijs, nego, quòd Deus actu religionis falso non digne colatur; colitur enim dignè per accidens, supposito errore invincibili, ita ut dixi d. 6. Deus dignè colitur à credentibus. Desperam esse sine labe conceptam, etsi hoc non sit de fide

fide certum : Deus dignè laudatur à Scoti-
stis, & à me, qui cum illis docui, Christum
D. venisse non tantum in remedium peccati,
sed etiam, ut esset Caput humani generis in-
dependentè ab omni peccato. Rursus Deus
dignè colitur à rustico, cui à Parocho cre-
dito summe authoritatis proponatur articu-
lus falsus, ut dictus à Deo. Adverto tamen,
ut docui in *tr. de Fide*, quòd talis actus fidei
non esset fidei Divinæ nisi putativè; non
autem fidei Divinæ intrinsicè supernatura-
lis: ergo non tantum in mysterijs, quæ no-
bis contant esse certò revelata, potest dari
in rustico circa non revelata, fides humana
falsa, & honesta ex imperio supernaturali
voluntatis, quatenus rusticus indubitanter
putat ut à Deo revelatum, quod non est à
Deo revelatum; sed multò magis in mys-
terijs non certò revelatis dari potest actus reli-
gionis falsus, qui sit honestas, ut dixi de
Christi D. adventu, etsi Adam non peccas-
set: ergo Deus per accidens falsà aliquà re-
ligione coli potest, immò non coli, ut acci-
dit in illis, qui non colunt Deum ob concep-
tionem Deiparæ, quia putant in originali
conceptam: ergo non sola veritas mensus, &
operis Deo placet, sed al iquando veritas pu-
tata, & opus à tali veritate putatà directum
Deo per accidens placent.

Adde grandem esse inter fidem Theolo-
gicam, & operationem honestam disparita-
tem. Illa non potest esse falsa, quia non habet
pro objecto nisi ipsam realem Dei revelatio-
nem connexam essentialiter cum objecto
materiali revelato: e contra in moralibus ob-
jectum formale virtutis moralis non conne-
ctitur essentialiter cum suo objecto materiali,
& ideo sæpe accidit, ut vera virtus moralis
connectatur cum errore; quia actus virtutis
moralis non specificatur ab objecto, ut est in
se, sed ut mihi apparet ex gravi fundamen-
to. Hinc si aliquem putem ex gravi funda-
mento pauperem, & ei obolum largiar, ut
ejus miseriam elevem, talis actus erit verè
honestus, & habebit honestatem virtutis
elemosynæ: e contra si ex gravi fundamen-
to putem Deum revelasse Christum D. ven-
turum, Adà non peccante, & reverà non
detur ea revelatio, talis actus non erit fidei
Theologicæ, quia hæc habet pro objecto
formali veram revelationem, non autem ap-
parentem ex gravi fundamento: actus autem
virtutum moralium habent pro objecto for-
mali honestatem non ut est in re, sed ut est
in mente. Hæc alibi à me dicta memini.

Concludo ex P. Teril. à n. 13. materiam
fidei esse in triplici differentiâ: 1. enim ali-
P. Teril. qua sunt certissima, & à nemine, cui suffi-

cienter proposita fuerint, sine hæresi in du-
bium vocari possunt: 2. aliqua sunt non ita
expressè certa, sunt tamen certa, & hæc sine
temeritatis, immò hæresis periculo negari
non possunt: 3. aliqua sunt non nisi dubia,
quatenus pro utrâque parte adest probabili-
tas. Dogmata primæ, & secundæ classis sunt
saltem implicitè ab omnibus credenda, & à
peritioribus saltem certò cognosci possunt:
immò aliqua ex primâ classe de necessitate
medij credenda sunt explicitè ab omnibus,
& ab omnibus post debitam diligetiam cog-
nosci possunt: aliqua sunt tantum credenda
de necessitate præcepti, quæ sufficit saltem
frequenter, si non semper, ut implicitè cre-
dantur; non enim præceptum ea credendi ita
urget omnes, ut teneantur ea explicitè cre-
dere; immò plura horum à multis invinci-
biliter ignorantur. De tertiâ autem classe,
quia semper manent dubia, non sunt neces-
sario credenda; satis est, ut quilibet ample-
ctatur partem, quam putat veriore, & si
errat, invincibiliter errat: immò dico ego
non teneri ad veriore, ut plerique etiam
Probabilioristæ docent. Idem dicendum de
materiâ morum: aliqua sunt principia prorsus
certa, aut ex illis evidentè, & proximè
illata; & hæc neminem, qui velit scire, late-
re possunt: alia sunt difficillimæ, & remo-
tissimæ illationis, & in his datur invincibi-
lis ignorantia, sive deducantur ex principijs
jurus naturalis, sive positivi Divini, aut hu-
mani. Hinc ait P. Teril. n. 15. eandem esse
prorsus rationem de materiâ fidei, ac mo-
rum; ut enim in illâ aliqua sunt principia
omnino certa, aut ex illis immediatè dedu-
cta, facillè scibilia, aliqua semper incertissima
in materiâ morum. Sicut autem in illis, quæ
semper manent dubia, quatenus eadem fidei
materia est utrimque probabilis, licitum est,
inquit P. Teril. utramque partem amplecti;
ita est in materiâ morum, quoties utraque
pars est probabilis. Ratio est; quia error in
materiâ fidei non minùs displicet Deo, quàm
in materiâ morum: ergo si, eo non obstan-
te, probabilitas, & error invincibilis in ma-
teriâ fidei excusat, excusabit etiam in ma-
teriâ morum. Causa equivocationis in P. Eli-
zald. est, quòd non distinguat inter necessa-
ria necessitate medij, & necessaria tantum
necessitate præcepti, & ideo omnia, quæ ad
fidem, & mores spectant, ad unam classem
reduxit; enuntians de illis, quæ necessaria
tantum sunt de necessitate præcepti, ea om-
nia, quæ solis necessarijs necessitate medij
conveniunt. Hæc ferè ad verbum P. Teril.
quæ tamen omnia ex meo penu dederam d.
14. sect. 2. §. 2.

P. Eliz.

§. III.

Jansenismus ex nostra sententia.

SUMMARIUM.

Celladei ait, quod si non est possibile invenire omne verum, erit saepe impossibile observare Dei legem, n. 62. 63.

Ait suam sententiam non magis habere de Jansenismo, quam Dei praecepta: quin ait, vel Deum esse Jansenistam jubendo impossibilia, vel se non esse, asserendo solam veritatem esse morum regulam, n. 64.

Contradictio Celladei, n. 65.

Solvo, à n. 62.

Si dari non potest invincibilis ignorantia, Ecclesia damnat chimeram, n. 66.

Lex Dei debet esse a sciente, non a nesciente, observatu possibilis, n. 67.

Impossibilitas observandi legem a sciente est Jansenismus, non a nesciente, n. 68. 69. 70.

Rejicio omnia allegata a Celladei, & peto, ut vel unum Ecclesia Doctorem mihi det, qui omne verum certo invenit, à n. 70. ad 74.

Est de fide, quod error invincibilis sit saltem negatu a morum regula, n. 74.

N. 62. P. Eliz. **P**ater Eliz. 3. p. lib. 7. postquam qu. 4. §. 3. pag. mihi 24. dixit omne verum juris naturalis, & Divini esse invenibile, pertinet ad cujusque statum, quod adeo verum putat, ut velit totum hoc esse intelligendum sine ulla limitatione, quia si semel admittatur aliquod verum non esse invenibile, statim procedetur ad aliud, & aliud; & ideo subdit, *Nulla limitatio admittenda videtur in jure naturali, & Divino; tandem qu. 5. ex invincibilitate praeceptorum infert possibilitatem eorum contra Jansenium, & per hoc sibi firmiter persuadet se non incidere in Jansenismum, etsi non nisi solam veritatem asserat esse morum regulam, exclusam omni probabilioritate licet summam; imò omni tutioritate. Nec hoc contentus refert §. 1. heresim Jansenii: Aliqua Dei praecepta, justis volentibus, & conantibus, esse impossibilia secundum praesentes, quas habent, vires, (id est in natura lapsa) deesse quoque illis gratiam, qua possibilia fiunt. Postea subdit: Animus non est probare, in hanc ipsam propositionem eos labi, qui timentur aliqua Dei praecepta inveniri non posse, sed intendimus nimum eos declinare in istum de impossibilitate praeceptorum Dei errorem. Jansenio quidem non de homine ignorante, sed de sciente, & conante erat sermo; & in hoc prorsus illi discrepant, quos hic impugnamus; at an in ipso formali puncto impossibilitatis satis dissent, est nunc discutiendum. Hæc P. Eliz. qui ex eo, quia*

nos asserimus sepe non posse inveniri verum, seu à Deo præceptum, conatur inferre sequi, juxta nos, impossibilem præceptorum Dei observantiam. Quod certè mirandum est; quis enim negabit, impossibile esse legem incognoscibiliter ignoratam observare, cum hæc sit Catholica veritas, non minus, ac sit hæretica falsitas, impossibile esse volentem observare legem cognitam? Unde dum P. Eliz. ex eo quia negamus omne verum esse cognoscibile, contra nos infert, esse impossibile observare omnem legem Dei, nempe illud verum, quod post sufficientem diligentiam prorsus ignoratur, Catholicam veritatem, quam omnino tuemur, infert. Quà igitur ratione ex Catholica veritate, quam affirmamus, & hoc ipsum, quod Catholicè tuetur, erit Jansenismus? cum Jansenismus sit, impossibile est, quod observetur a volente lex cognita, non autem, impossibile est quod observetur a nesciente lex ignota, quod est Catholicismus à nobis affirmatus.

Arguit itaque 1. §. 3. pag. 28. Omnia, & N. singula Dei præcepta sunt possibiliter omnia, & N. præcepta Dei possibiliter sunt invenibilia, & N. & cognoscibilia, quia quod invenire, & cognoscere non possumus, implere non possumus: ergo si omnia Dei præcepta sunt possibiliter, omnia sunt invenibilia. Confirmat 1. adigendo omnes Probabilioristas, & Tutioristas ad Jansenismum. Omnia præcepta non invenibilia, sunt observatu impossibilia: sed, juxta nos, aliqua Dei præcepta sunt non invenibilia: ergo aliqua sunt impossibilia. Minor est nostra sententia. Maior constat, quia nil volitum, quin præcognitum: ergo si aliquod præceptum non est cognoscibile, nec est observatu possibile. Confirmat 2. Frustra dantur vires ad implendum præceptum, & cognitio ejus negatur; sed hoc nos facimus, dum tuemur omnia Dei præcepta esse observatu possibilia, & simul negamus aliqua esse invenibilia: ergo &c. Confirmat 3. Ut enim ex eo quia Jansenista negat gratiam, quâ implere præcepta possumus, sequitur hæresis, & impossibilitas eorum; ita quia nos negamus eorum præceptorum invenibilitatem, sequitur, juxta nos, eorum impossibilitas: ergo quoad impossibilitatem implendi præcepta nos non differimus à Jansenistis.

Arguit 2. §. 4. quia tantum abest, ut per N. probabilitatem inveniat lex Dei, quin possit fita legis probabilitate possum prudenter legem non implere; atque adeo Probabilitates faciunt potius, ne præcepta existant quoad nos, & sint quasi non essent: ergo per probabilitatem præcepta non fiunt nobis possibiliter.

bilia. Confirmat 1. Tam non servatur præceptum in sententiâ Jansenij ob defectum potentie implendi illud; quam non servatur, positâ probabilitate præcepti, ob defectum certæ existentie præcepti: ergo inciditur in Jansenismum; seu in impossibilitatem servandi præceptum. Confirmat 2. quia via probabilitatum ex suo instituto tendit ad hoc, ut præcepta Dei impleri non possint, nam non potest impleri præceptum, si non constet certo ejus existentia: ergo tendit in Jansenismum. Confirmat 3. quia tantum abest, ut mea sententia (loquitur P. Eliz. pag. 29. de sua propriâ) docens solas veras doctrinas morum esse rectam regulam, quin hac regula non magis habet de Jansenismo, quam habeant ipsa præcepta Dei: nam evidens est illa frequentis assumptio S. Thomæ, Quod in rebus est esse, hoc est in intellectu verum: ergo ita est impossibile secundum verum, seu veras doctrinas vivere, sicut vivere secundum, & juxta ipsa præcepta: ergo via nostra non plus de Jansenismo habet, (horreo ad hanc comparationem quam habeant ipsa præcepta Dei. Quare pag. 29. ait: Quod esse nequit, aut Deus (Bone Deus quid dicit!) Jansenista est impossibilia præcipiendo, aut nos Jansenista non sumus, solas doctrinas veras regulam vivendi constituendo.

N. Respondeo 1. quod P. Eliz. qu. 5. plura dicat inter se contradictoria; nam §. 3. pag. 65. P. Eliz. 24. ait, omne verum juris naturalis, & Divini esse invenibile; & §. 4. ad finem supponit plures dari probabilitates circa verum juris naturalis, & Divini: ergo non omne illud est invenibile. Secundum est, quia §. 4. dicit: *Universa totius operis nostri una sententia est, solas doctrinas veras morum esse rectas doctrinas morum, & rectam regulam; & tamen paulo post objicit sibi, quomodo sola veritas est regula vivendi, cum præterea ego obligem (loquitur de se) ad omnes opiniones æque, & magis probabiles pro lege, quarum plurimæ sunt falsæ; & respondet, quod verum obliget per se, & directè, & absolutè; falsum autem per accidens, & ex suppositione, que est, inquit, omnium sententia. Ecce altera contradictio: solum verum obligat; falsum etiam obligat; nec tollitur per se, & per accidens; tum quia qui tria volumina cudit, & ubique repetit, sola veritas est regula morum, & negat summam probabilitatem, & certitudinem esse ne quidem aliquâdo regulam morum, si sit falsa; quomodo nunc dicit, quod verum sit regula per se, falsum per accidens? Tum quia dum hoc dicit, quid dicit, quam quod omnes alij dicunt, ut idem P. Eliz. fatetur? Si ergo dicit, quod omnes, cur à sui operis principio*

non est clarè locutus cum omnibus? Sed ve-reor, ne hoc dicat coactus nostris argumētis, quorum quando obliviscitur, semper, & ubique dicit solam veritatem esse regulam.

Respondeo 2. omnia argumenta deducere ad Jansenismum, quem nobis imponit. N. 66. probant enim, quod invincibilis ignorantia non excuset a peccato; immò quod omnis ignorantia sit vincibilis, quia omnis veritas juris naturalis, & Divini est invenibilis, & ideo §. 4. ait, *quod homo veritatem non inveniat, & opinionibus implicetur, & ligetur, sibi impuet, nam in ipso causa est, non in Deo.* Ita autem arguo: Omnia Dei præcepta sunt observatu possibilia: ergo ignorantia invincibiliter aliquod præceptum juris naturalis, & Divini, illud idem est etiam ab eodem observatu possibile: ergo si non observat, peccat. Quod, si negaverit esse tunc ab eodem observatu possibile, consequenter non omnia Dei præcepta sunt observatu possibilia, sed tantum à sciente, & conante; & ideo in damnatâ rectè ponitur à *volentibus, & conantibus*; tò autem *volentibus* supponit scientiam, seu cognitionem.

Arguo 2. Omnis veritas juris naturalis, & Divini est invenibilis: ergo culpa nostra est, si non inveniat: ergo omnis ignorantia veritatis juris naturalis, & Divini etiam quoad fumos apices est vincibilis: ergo Ecclesia damnans ut hæreticam propositionem, quod ignorantia invincibilis non excuset, supponit falsum, imò chimeram; supponit enim dari saltem circa apices juris naturalis, & Divini invincibilem ignorantiam, quam tamen dari non posse, immò omnem esse vincibilem asserit P. Eliz.

In formâ distinguo maiorem: Omnia Dei N. 67. præcepta sunt impletu possibilia scienti, & conanti, concedo maiorem; invincibiliter ignorantia, nego maiorem; & distinguo minorem: Omnia Dei præcepta juris naturalis, & Divini sunt certò, & evidenter semper invenibilia, nego minorem; sunt ad summum probabiliter, & ab aliquo, & non ab omni homine invenibilia, transeat minor, & nego consequentiam. Recolatur doctrina communis, quod sicut inter veritates credendas aliquæ sunt universalissimæ, & certissimæ quoad nos, aliæ sunt occultæ, & incertæ, ut ipsemet P. Eliz. lib. 7. qu. 1. §. 6. pag. 8. ait contra Academ. qui nil sciri posse, nil credi debere docebant: *Utraque scita est contra fidem; & tenendum alia sciri posse, alia sciri non posse; alia credenda esse, alia non esse, ita ut dixi §. antec. & alibi inter morum præcepta, alia sunt certissima, alia prorsus incerta, ut sunt*

ut sunt omnia, quæ post solers piorum, & sapientum Doctorum examē, sicut ab aliquibus probabiliter affirmantur, ita ab alijs probabiliter negantur. Hæc ergo præcepta, sicut non sunt certo invenibilia, ita nec certo obligantia; quæ si impleantur, implebuntur spontaneè ex obedientia affectiva, si ea in re non dentur, ut docui in *tr. de Incarn.*

N. 68. Ad 1. confirm. concedo totum argumentum, & rideo Jansenium objectum. Non est Jansenismus non observare ignotum præceptum, nec posse illud observare, imò est Catholica, & Philosophica veritas, nemo enim velle potest ignotum: si ergo aliquod præceptum non est certo invenibile, ita ut certo nos obliget, non mirum si impleri non possit. Jansenismus est, observari non posse præceptum ab homine sciente. De cætero omnis dormiens erit Jansenista, quia observare non potest præceptum.

N. 69. Ad 2. confirm. nego minorem; non enim crudè dicimus, omnia Dei præcepta esse proximè observatu possibilia, sed dicimus omnia esse observatu possibilia à sciente, seu volente, & conante.

N. 70. Ad 3. confirm. patet ex dictis: Jansenista est Hæreticus, non quia negat possibilem observantiam præceptorum, sed quia negat possibilem homini iusto volenti, & conanti; atque adeo quia negat gratiam, quæ possibilia fiant. Nos autem dum negamus possibilem præceptorum prorsus iguoratorum observantiam, Jansenista esse non possumus; aliàs omnis dormiens, omnis infans, omnis amens erit Jansenista, quia non potest observare præcepta. Vides igitur, quòd sola impossibilitas observandi legem non facit Jansenistam, sed impossibilitas in sciente, & conante.

N. 71. Ad 2. rationem fateor per probabilitatem fieri nobis præcepta probabiliter cognoscibilia, quæ si quis implere voluerit, potest, esto non teneatur: ut enim aliquis aliquà lege teneatur, debet lex, & præceptum continere; quare aliud est, quòd præceptum probabiliter tantum cognitum existere, non obliget, quòd verum est; aliud, quòd non possit impleri, quòd falsum est. Moneo autem ne à similitudine probabilitatis transeat ad probabilitatem simultatis. Judicans præceptum probabiliter existere, non judicat, ne quidem probabiliter, non existere; etsi simul habeat motivum judicandi probabiliter non existere: si ergo probabiliter tantum judicat existere, non autem non existere, potest illud implere.

N. 72. Ad 1. confirm. patet ex dictis ad antecedentes confirmationes.

Ad 2. confirm. nego probabilitatem tenere ad impossibilitatem præceptorum, nam potest impleri præceptum probabiliter tantum cognitum; sed ad summum tendit ad non obligationem certam præceptorum.

Ad 3. confirm. horreo ad hoc dictum, nempe quòd hæc propositio, *Sola veritas est regula morum*, nil plus habeat de Jansenismo, quam ipsa præcepta Dei; horreo, inquam, eam comparisonem. Si enim hæc propositio, *Nil magis habet falsi meum dictum verum, quam habeat dictum Dei*, est malè sonans, ut patet ex tract. *de Juramento, & de Fide*: similiter si aliqua femina verè virgo de se diceret, *Sum adeo virgo, ut fuit Despara ante partum*, est quasi blasphemica, & horrenter patet aures eà audita. Rursus si rectè ab Innocentio XI. damnata fuit hæc 44. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat, & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia*; si, inquam, hæc, ut advertit Martinus Brezmes Dies de Prado in suo Theatro Morali 2. p. proposit. 44. n. 3. rectè ut nimis audax damnata fuit, vel obca tantum verba, *si hoc non est probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia*; ignoro quomodo spongiam Theologicam non mercatur adducta ex P. Eliz. propositio: nam est de fide præcepta Dei iusto volenti, & conanti esse possibilia; non est autem de fide, immò saltem contra rationem, ut ostendi d. 5. & 6. solam veritatem esse regulam morum; nam error invincibilis est saltem regula negativa, seu regula non peccati; immò, juxta nos, est etiam regula positiva, seu honestæ actionis. Denum longè magis horreo aliam propositionem, *Aut Deus Jansenista est impossibilis probando, aut ego non sum asserendo solam veritatem esse morum regulam*. Implicat enim, ut Deus sit Hæreticus; non implicat autem ut P. Eliz. in eo assero erret saltem materialiter; immò errare docui d. 5. & 6. dum dicit solam veritatem esse regulam morum. Quare si P. Eliz. tantum fremit contra nos lib. 6. ut infra dicam, quia rationem regulæ tribuimus sæpe privato Doctori, communicando ei, ut contra nos dicit, infallibilitatem soli Pontifici communicatam; quanto magis possem ego (nolo tamen) fremere contra ipsum, quòd tantam huic suo dicto, *sola veritas est regula morum*, tribuar infallibilitatem, quantam habet Deus, ne sit Jansenista?

Ad reliqua omnia, quæ tantà Lectorum N. cruce trahit toto lib. 7. ut ostendat omne verum juris naturalis, & Divini esse invenibile; dico brevissimè præter ea quæ dedi d. 5. sect. 4. §. 2. ut mihi ex tot Ecclesiæ Doctoribus,

ribus, imò Pontificibus, imò libris etiam Canonice assignet unum, in quo omnino verum editum sit, & qui omne verum possibile invenerit, & tradiderit. Rursum dico, etsi darem aliquem Doctorem Ecclesie omne verum juris naturalis, & Divini invenisse; quæro, an ita invenerit, ut certo nobis contet illud verum, an tantum probabilioribus rationibus persuaserit? Primum non tenet; quia in pluribus incertis spectantibus ad jus naturale, & Divinum dantur passim contrariæ opiniones: dixi, in incertis; etsi enim in ferè certis plerumque conveniant Ecclesie DD. attamen in incertis, & valde remotis à primis juris naturalis, & Divini principiis, sæpe inter se disconveniunt: & quidem quid clarius, quam quòd ebrietas sit mortalis? & tamen Noe se incubians, à pluribus excusatur à peccato: ergo Noe jus naturale quoad aliquid ignoravit. Quod si hoc verum est de viro a Deo valde commendato, & in re satis obviâ, quid erit dicendum de alijs in materiâ simoniae, cambiorum, usurarum, compensationis, & aliorum sine fine, dum illi casus sæpe sunt à suis principiis remotissimi, & ideo quòd aliqui simoniam, usuram, & injustitiam affirmant, alij negant? Quod si P. Eliz. dixerit aliquem Doctorem Ecclesie cognovisse probabiliter omne verum juris naturalis, & Divini, eo ipso alij æquè ingeniosi inventient rationem oppositam, quâ illud negent. Addo, si omne verum est invenibile, cur P. Eliz. aut alius non edidit librum de omni, & quolibet vero particulari? Tandem addo valde frequens esse in P. Eliz. probare propositiones ab omnibus admittas, ut facit *lib. 7. qu. 5. 6. 7. 8. & 9.* nam assumit hanc propositionem, *Omne verum juris naturalis, & Divini est invenibile;* & ut hanc probet, totus est in congerendis autoritatibus, quòd vera fides sit invenibilis; quo toto concessio, non inferatur, omne verum esse invenibile, nam ex particulari non tenet consequentia ad universale: ergo nihil probat.

SECTIONO IV.

Sequitur legem Dei non esse primam, nec universalem regulam morum, & novam Scientiam Mediam introduci.

§. I.

Afferuntur argumenta Palanci.

SUMMARIUM.

Quia operans contra Dei legem bene operabitur: nec Deus erit prima, & universalis conscientia

regula, à n. 75. ad 78. Quia per legem reflexam inducitur nova scientia media; si enim iudico dari legem, datur; si non dari, non datur, à n. 79. ad 82. Quia solum nostrum iudicium erit regula, & Dei lex ei subordinabitur, à n. 82. ad 86. At Deum non vivere in regno probabilitatis, n. 86. Solvere conatur duplicem nostram instantiam, n. 87. 88. At Deum nullâ suâ lege permittere, aut jubere, ut sequamur probabiliores, aut invincibiliter falsam, n. 89. 90.

Rogo Lectorem meum, ut æqui bonique consulat, quod ego ponam sub unum intuitum argumenta, quibus Palanco velis remisque *qu. 28. art. 3. per totum*, contendit sequi ex nostrâ sententiâ hoc maximum absurdum, quòd lex æterna Dei non sit prima, nec universalis regula moralitatis.

Itaque probat 1. Si licet sequi omnem N. probabilem pro libertate, omisâ probabilitate N. 76. pro lege, honestè operabitur, sive quis juxta, sive contra Dei legem operetur; nam sequens certò probabilem pro libertate etiam falsam, omisâ probabili pro lege, honestè operabitur: ergo lex æterna Dei non erit prima, & universalis regula morum, nam de ratione primæ, & universalis regulæ est, ut nil sit rectum, nisi per conformitatem ad illam: sed potest quis honestè operari, etsi contra Dei legem operetur: ergo lex Dei non erit prima, & universalis regula. Confirmat 1. Æquè probabilis æqualem habet contingentiam, ut sit vera, ac ut sit falsa: ergo si licet sequi æquè probabilem, licitum erit operari juxta opinionem habetem æqualem contingentiam ad verum, ac ad falsum; seu juxta opinionem, sive sit vera, sive falsa; si autem falsa sit, eo ipso opus erit à Dei lege vetitum: ergo honestè operabitur, qui ponit opus à Deo vetitum, seu contra legem Dei: ergo lex Dei non erit prima, & universalis regula honestatis. Confirmat 2. Juxta nos lex Dei non est prima, & universalis regula conscientie; ergo neque prima, & universalis regula moralitatis.

Probat 2. impugnando nostram, & communem responsonem, quâ dicimus, quòd N. 77. licet conscientia formata juxta opinionem certò probabilem, sed falsam, non sit conformis legi Dei directæ; (hæc enim vetat tale opus) est tamen conformis legi Dei reflexæ permittenti, ut quilibet operetur juxta omnem certò probabilem; eo modo, quo conscientia invincibiliter erronea licet non sit